

381

379

385

375

390

370

430

330

480

280

Ende

Anfang

366

ergo ab eo, et progressi de vico, quum ad sinistram alium  
vicum intravimus, ad quandam ecclesiam magnam venimus,  
cui adjacet solemne monasterium cum omnibus officinis claustris,  
in qua olim deguerant moniales sub abbatissa Ordinis S. Be-  
nediti, et erant divites et sanctae. Sub illa ecclesia est locus  
nativitatis Mariae beatae Virginis, quia ibi erat domus Joachim  
et Annae. Sarraceni ex illa ecclesia fecerunt muscheam, qua-  
propter nobis ingressum non indulgent. Stetimus ergo et  
orationes consuetas ante fores ecclesiae perfecimus et indul-  
gentias plenariae remissionis accepimus (††). Verum post  
peregrinorum recessum intromissi fuimus nos, qui in Jerusa-  
lem remansimus, cum magna tamen difficultate et occulte, ut  
fol. 230, in latere B, et ibidem etiam describitur locus et mo-  
nasterium.

Et notandum, quod Sarraceni singulariter conantur illam  
ecclesiam etiam a memoris Christianorum delere, quia in ar-  
gumentum mendacissimi Alcorani est ibi. Habet enim Alco-  
ranus, quod beata Maria Virgo fuerit filia Miriam, soror Aaron  
et Moysis, quod deliramentum falsissimum est, ut patet de  
cribra Alcor. l. 1. c. 1. et lib. 3. c. 17.

De probatica piscina Bethsaida , ubi paralyticus  
sanatus est.

Prope ecclesiam illam ducti fuimus per arctum vicum, et  
domum quandam pulsavimus, in qua residebant pauperes Sarra-  
ceni, qui ostium reserantes nolebant nos intromittere nisi  
prius daremus eis aliquot denarios. Quod cum factum fuissest,  
ingressi sumus, et per gradus lapideos in unam curiam vel  
planitiem non multum magnam descendimus, quae vallata mu-  
ris quandam fuit, et adhuc pro parte est. Et sunt per gyrum  
portae arcuatae. In illo loco erat tempore Christi piscina pro-  
batica, quae cognominabatur hebraice Bethsaida, ubi Dominus  
Jesus paralyticum sanavit, ut dicitur Joh. V. Habebat autem  
piscina haec aequas, quae confluebant tempore pluviarum ex  
stillicidiis templi, et in ea oves et alia pecora in templo im-  
molanda lavabantur. Salomon etiam jussit lignum, quod ei  
Sibylla monstraverat, et in quo Christum pati praenuntiaverat,

